

rum multa eius generis templa vicit, quod uero deinde ab Herostrato incensum est. Solis templum in Egypto, quem fugit, insigni præstantia sua exsplenduisse? Pantheon Romanorum, quod iam Mariæ virgini dicatum esse fertur, omnibus diis deabusque apud gentiles sacrum erat, de quo Plin. l. 36. cap. 15. Ammianus 16. cap. 10. mentionem faciunt. Templum quoque Athenis fuit, quod ignoto Deo inscriptum fuisse Act. 17, 23. commemoratum legimus, ideo, quod Athenienses, pro summa eorum superstitione, nullum Deum, si quis forte adhuc incognitus esset, adorationis cultusque expertem esse volebant. Capitolium Romæ summa præstantia et pereximio splendore omnium oculos perstringebat.

Sed missa facimus hæc idololatriæ vel splendissima theatra, in quibus fictitiis tantum diis adorationis ac venerationis thura in summi et unius Dei ignominiam accendebantur; et ad ea nos templa atque sacra-ria convertimus, quæ religionis erga summum Numen causa condita eidemque fuere consecrata.

Tempore V. T. antiquissimo nullum plane exstabat templum, sed pro simplicitate vetustissimorum temporum, sacra sub dio, vel etiam in patriarcharum tuguriis Deo peragebantur. Interea iam ex Gen. 28, 22. liquet, Iacobum Deo suo non solum altare, sed templum seu domum promississe. Deinceps Mosis, Dei iussu, foederis tabernaculum parauit, quod cum Salomonis templo magnam habuit, quoad uasa, personas, ritusque sacros, conformitatem. Salomo, rex populi Israelitici, et vel in hoc typus Christi, qui pacem nobis aeternam parauit, ideo, quod bellum non gesserat, Deo templum illud magnificentissimum extruxit, de quo 1. Reg. 8. agitur, et hac ratione grande opus, quod Dauides pater diu meditatus erat, quam felicissime peregit. Postquam vero illud

(a) 3

per

etiam simplicitatem sapere videtur. Annabergae in coemeterio est eiusmodi regio, quæ terra sancta idcirco appellatur, quia quondam ante Lutheri reformationem viator quidam pusillum terræ sanctæ e Palæstina in illa regione dispersit; et nostra memoria mos ibidem obtinet, ut locus sepulturæ in illa sancta regione certo pretio sit redimendus. Quod vero Patriarchæ in Palæstina ut sepelirentur, quod in Iacobo et Iosepho elucet, tam insigni flagauerint desiderio, id non ex sanctitatis terræ illius opinione, sed potius, ut a gentilium iniuria corpora eorum manerent libera, et ad certam spem de futura deductione Israelitici populi in terram Canaan, testificandam, explicandum esse videtur.